



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

92. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 65
omnino debet, ut sacerdotes & Levitæ cum
mulieribus non coëant, quia ministerij coti-
diani necessitatibus occupantur, & scriptum
est: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Do-
minus Deus vester.*

De eadem re.

LXXXIX. De Presbyteris & Diaconi-
bus divinarum legum est disciplina, ut incon-
tinentes in officiis talibus positi omni honore
ecclesiastico priventur, nec admittantur ad ta-
le ministerium, quod sola continentia oportet
impleri.

Burchard. lib.
2. c. 117.

Item.

XC. Interdixit per omnia magna synodus
non Episcopo, non Presbytero, non Diacono,
vel alicui omnino qui in clero est, licere
subintroductam habere mulierem, nisi fortè
matrem aut sororem aut amitam vel eas tan-
tùm personas quæ suspicionem suffugiunt.

Concil. Nic.
c. 3.
Burchard. lib.
2. c. 109.

De eadem re. *Ex decretis Siricij Papæ*
tit. XII.

XCI. Feminas verò non alias esse pati-
mur in domibus Clericorum nisi eas tantùm
quas propriè sola necessitudinis causa habitare
cum iisdem synodus Nicæna permittit.

Decreta Siricij
c. 12.
Burchard. lib.
2. c. 110.

De eadem re. *Ex Concilio Carthaginensi*
cap. XXV.

XCII. * Aurelianus Episcopus dixit: Ad-
dimus, fratres carissimi, præterea, cùm de
quorundam Clericorum, quamvis Lectorum,

* Aurelius
Concil. Car-
thag. 6, c. 25.

E

erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, quod & diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, seu etiam Episcopi, secundum propria statuta ab uxoribus se abstineant, ut tanquam non habentes videantur esse. quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. ceteros autem Clericos ad hoc non cogi nisi maturiore aetate.

De eadem re. *Ex decretis Siricij Papae*
cap. VII.

Decreta Siricij c. 7.

X C III. Plurimos enim Sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis suae tempora tam de conjugiiis propriis quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum praecipitorque vitiorum, aestimat quia in lege Moyse passim sacris ordinibus à Domino nostro laxata sunt fræna luxuriae, cur eos quibus committebantur sancti sanctorum praemonet dicens: *Sancti estote quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Cur etiam procul à suis domibus anno vitae suae habitare in templo iussi sint Sacerdotes. Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possint carnale exercere commercium, ut conscientiae integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent; quibus expleto deservitio- nis suae tempore uxoris usus solius successi- causa fuerat relaxatus; quia non ex alia nisi e-